

I. N. N. I.

De.

# FORTITUDINE

## DISPUTATIO ETHICA.

QUAM

Divinâ affulgente gratiâ

*Ad dictamen constitutionum Academicarum, Adprobante  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ, in Regia ad  
Auram Academia, Senatu;*

SUB PRÆSIDIO

VIRI *Præclarissimi ac Excellentissimi.*

**M. A X E L I I** Kempes/ Philosophiæ  
Practicæ & Historiarum Professoris in præfata  
Academia, inclyti, Præceptoris ac Promo-  
toris sui plurimum honorandi.

*Pro Philosophici Magisterij privilegij obtinendis ad  
publicum examen modestè defert.*

**MAGNUS ECHMAN SMOLANDUS.**  
S. R. M. Beneficiarius.

*Ad diem 27. Novemb. Anni M. DC. LX. IX. 1669.  
horis & loco consuetis.*

Fortitudo à Deo est, Psal. 28. 9. Dan. 2. 20.

A B O Æ,

---

Impressa à P. E. HANSONIO, Acad. Typ.

*Admodum Reverendo atq; Eminentissimo in Christo Patri & DOMINO,*  
**DN. M. JOHANNI BAAZ,**  
Amplissimæ Diæceseos Vexionensis Episcopo ce-  
leberrimo, nec non Ven: Consistorij ibidem An-  
tistiti accuratissimo; Mecænati ac Patrono suo ut  
certissimo, ita humilimâ animi veneratione æta-  
tèm suspiciendo:

*Simul ac Reverendis & Clarissimis VIRIS,*  
Celeberrimi Gymnasij Vexionensis **LECTORI-**  
**BUS** perindustrijs, Consistorij Dnn. **ADSES-**  
**SORIBUS** inclytis, Præceptoribus, Promoto-  
ribus ac fautoribus singulariter ac officiosè colendis:

**N E C N O N**

*Reverendo ac Venerabili Viro,*

**DN. LAURENTIO RIMMIO,** Pastori Eccle-  
siæ quæ congregatur in *Almeboda* vigilantissi-  
mo, Nutritio quondam benignissimo, Promotori jugi-  
ter honorando:

*Speclatissimo* **DN. JOHANNI MARTINI,** Anno-  
næ classiariorum Regni Sueciæ Præfecto accuratissimo,  
Nutritio propensissimo, Promotori studiosè colen-  
do:

*Speclatissimo* **DN. PETRO Spaak /** Parenti suo  
longè charissimo, & reverenter colendo:

*pad.* *Hoc specimen, festinationis plenum, debitum ta-*  
*men reverentia, ac gratitudinis aliquem*  
*declaraturus affectum, submissè & peroffi-*  
*ciosè consecrat.*

**R E S P.**



*Virtutem, virtutis cultor indefessus Cicerone, his verbis extollit: Virtute nihil est præstantius 3. de fin. Quod alibi hoc modo confirmat: Illa sola temporum fortunæq; vices nescit, in tempestate quieta, in tenebris*

*splendida, non obsolescens alienis sordibus, non debilitata incommodis suis; Virtus, inquam, quæ una altissimis defixa radicibus, quæ nec vi labefactari, nec loco dimoveri potest. Eò Tullius operæ pretium duxit omnes, qui hujus præclara rei laude morventur, contendere, ut indices cum staturâ, sapientiâ possint proficere, & ut corpus vestibus ornent, ita animam virtutum decore ornata habere, hac lumine natura patent. Hæc de fide sunt, ut moribus honestis imbuti, quæcunq; sunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; modesta, quæcunq; justa, quæcunq; sancta, quæcunq; casta, quæcunq; amabilia, quæcunq; bonæ famæ, hæc cogitent; ut divinæ naturæ consortes; concupiscentiæ qua in mundo est corruptionem effugiant, omniq; collato studio in fide sua acquirant virtutem, in virtute scientiam, in scientiâ temperantiam, in temperantiâ patientiam, in patientiâ pietatem, in pietate amorem fraternum, in amore fraterno charitatem. Caterùm pulchrè Plutarchus: Non conferenda est cum auro virtus quod super terram est. Virtute ergo nihil est præstantius. De hac igitur, non in genere, sed de specie ejusdem sc: Fortitudine, hæc vice, paucis agere animus est. Sit itaq; auxiliante Deo.*

**I**N excelsam Fortitudinis arcem, definitionem ejus investigando, commodè invadere possumus: quæ juxta Philosophorum placita duplex censetur. *Nominalis* videl. & *Realis*, hæc naturam & essentiam rei per causas, genuinè, aperit: *illa* Nominis per 1. Etymologiam. 2. Hom. 3. Syn: declarat.

II. Vocis notitiam, haud parum lucis ad rei illustriorem sensum conferre, vel cuiq; literarum præsidio qualicumq; munito, in confesso est: quocirca abs re minimum esse arbitror, eandem statim in ipso lumine, ab *Etymologiâ* hujus virtutis incipiendo, antequam ulterius provehar, pro ingenij viribus investigare.

III. Vocabulum *fortitudinis*, vel latinis à *ferendo*, ut quibusdam placet, nomen accepit, propterea quòd *fortis ardua ac difficilia ferre ac sustinere potis sit*. Plus namq; in *ferendo*, quòd *sapius requiritur*, quàm *feriendo*, quòd *rarius consistit*. ut Gen: D. Guld: censet. Quod etiam ab Arist: stabilitur hoc pacto: Magis est arduum timorem deprimere, quòd fit *sustinendo*: quàm audaciam moderari, quòd fit *aggrediendo*. Siquidem periculum, quòd audaciæ & timoris objectum est, ex se confert aliquid ad reprimendam audaciam, cui se opponit: timorem verò non tantùm non cohibet, sed & auget. Eodem sensu alij dicunt, fortitudinem potius in *ferendo*, quàm *feriendo* esse conspicuam. Unde Virg: *Superanda omnis fortuna ferendo est*.

Vel Græcis dicitur *ἀνδρῆια ἀπὸ τοῦ ἀνδρῆος*, quasi virilis, à viro, non quòd hæc in solos viros cadat, sed maximè digna sit sexu virili in eoq; frequentior, sola omnium virtutum maximè viro digna judicatur. De quâ notatione nominis Cic. 2. Tusc. *Viri propriam maximè fortitudinem*, dicit. Idem statuit Keck. Hæc virtus, inquit, maximè digna est sexu.

sexu virili, quem evidentius discernit à sexu fœmineo, præsertim cum etiam pendeat à temperamento calidiori & à corde spirituosiori & compactiori, quod rarum est in sexu fœmineo, nisi quat: is degenerat ad vitilem. Syst. Eth. l. 2. Vide sis Gen: D. Gûld, Colleg: Eth: Disp. 6.

IV. *Homonymiam* quod concernit. 1. Accipitur hæc vox *generaliter* pro omni tolerantia & patientia in adversis, quam fortitudinem *domest:* appellare nonnullis placet, ut inquit Keck: 2. Pro *supernaturali* fortitudine ad tyrannidem quamvis perferendam, ut fuit in Mose, contra Pharaonem, in Johanne contra Herodem, in Apostolis & Martyribus plurimis, qui fortiores quàm qui in bello pro patria occumbunt. Bartol: 3. Pro *Complexu omnium virtutum*, quo sensu eam accipit Piccol: ut ait Liebehthal. Pro qualibet virtute sumitur, quat: animo firmitatem aliquam ad agendum tribuit, ut existumat Stierio. 4. Pro *naturali* f.º quæ in virib. & lacertis corporis consistit qualis in brutis, leonibus, equis &c. alijsq; bonis animi destitutis. Sic leo non minus quàm homo fortis dicitur: Casus. 5. Pro *quorvis contemptu perscutorum*, quomodo audaciæ quoq; competit. Stier. Lieb. 6. Pro *virtute morali*: qt. res magnæ in periculis susceptione cum rectâ ratione geruntur, quæ maximè huc pertinent.

V. Deinde *Synonymia* evisceranda seu fortitudinis æquipollentia, appellatur namq; aliàs *Magnanimitas*, *patientia*, quæ species potius fortitudinis sunt Vend:º Vocatur optimum felicitatis juxta & ærumnarum condimentum Alst:º alijs firmitas animi, vulgo finitur moderatio animi in utraq; fortuna. Rosa inter spinas, inter difficultates virtus, inter curas gloria. Unde f.º vis adamanti, qui malleum & limam contemnit, palmæ, cujus ramus imposito onere non deflectitur in terram, cæterarum arborum more, comparatur. Alst:º Magnitudo animi. Cic.

VI. Nominali definitioni *Realem* subnecti tractandi ratio jubet. Quæ ex Gen. D. Guld: Ergast; virtutum talis depromi potest: *Fortitudo est virtus moralis, quæ adversa quævis magno animo honestatis gratiâ perferimus, ne vel plus æquo metuamus, vel temerè nos periculis obijciamus.* Quam definitionem quia definito adæquatam arbitramur, approbamus, retinemus ac tuemur.

VII. Porro cum ad rerum solidam notitiam absq; diligenti causarum investigatione haud pateat aditus, *Scire namq; est rem per causas cognoscere:* Proinde hic succinctè, fortitudinem per causas suas, planius deducere ac demonstrare lubet. In harum causarum enodatione ab efficiente initium capere fas est.

VIII. *Causam Efficientem Univ: & primam* fortitudinis esse benignissimum Deum, naturæ Authorem, omnisq; boni datorem, non sacræ duntaxat pandectæ, verùm saniorum Ethnicorum dogmata, de quib. multa dici possent, ni ea res longiùs ab instituti ratione traheret, læculentè evincunt. Subdivisiones omnes, in princip: & minus prin: &c. brevitati studens, consultò prætervehor. His tamen adjungo *causas impulsivas:* Utpote 1. *Spem præmiorum,* de qua Cic. 3. off. *Trahimur omnes laudis studio; & optimus quisq; ducitur gloria.* 2. *Metum pœnarum,* qui malevolorum Magister est, *præmia namq; & pœna vincula sunt societatum,* quib. in officio cives continentur. 3. *Virtutis pulchritudinem,* quæ quævis margaritâ splendidior est, & si oculis subijei posset, mirabilem sui amorem excitaret. 4. *Amorem publicæ tranquillitatis,* cujus causa probi omnia suscipiunt & perficiunt, etiamsi plurib. difficultatib. implicata sint. 5. *Præceptiones & mandata Dei,* quæ passim in sacris literis inveniuntur. *Sitis fortes per Dominum perq; potentiam roboris illius &c.* monet Apost. Eph. 6.

IX. *Materiam* f. quod attinet, in quâ, seu subijctum, constituimus

Animus duplex; 1. *Quod seu Denominationis*, totum hominem animam & corpore constantem, hic namq; bonis morib. informandus & ad beatitudinem revocandus. 2. *Qua seu invasionis* est anima rationalis & voluntas, cum per eam virtutes exeruntur, ei non immeritò inhærere dicitur, non secus ac aliæ virtutes.

X. *Materia* deniq; *sicca quam seu objectum internum* & com. quod actui primo, seu quod idem est rebus internis in quib. regendis & moderandis fortitudo occupata, correspondet, sunt ipsi affectus in homine, *Metus* videl. & *confidentia*, Præcl. *Rempe* & *Lieb*.

XI. *Externum*, sunt illæ ipsæ res quæ fiduciam gignunt aut timorem incutiunt. Gen: *Guld*. In quo ipsi affectus exercentur, tales a. res sunt pax, honor, divitiæ mors &c. Estq; rursus vel *Generale* vel *Speciale*. Illud est vel *Primum* & sunt *Φοβερὰ, formidabilia*, h. e. ea quæ metum & terrorem homini in periculis incutiunt. Atq; adeò omnia mala quæ metum & formidinem causantur. *Primum* dicuntur, quia in terribilib. magis conspici vis fortitudinis potest. *Lieb*.

XII. *Mala* v. quæ metum homini inferunt, in duplici sunt differentia, *inhonesta* & *Tristia*. *Malum inh.* (Theologismalum culpæ dicitur) est quod vis vitium, peccatum & turpitudine nostro facto admittitur, quod quidem per se huc non spectat nec fortitudinis objectum esse potest, qui enim malam inhonestam seu turpia animosè aggreditur, ipse turpis & vitiosus est non virtuosus. *Mala v. Tristia* (Theol: pœnæ) sunt quævis adversa, molesta & graves casus, quæ non nostram culpam contingunt, ut morb. paupertas mors, persecutio &c. quæ huc spectant.

XIII. Sunt v. hæc non ejusdem generis. Alia n. mala tristia sunt *ὑπερ ἀνθρώπων*, ut loquuntur Ethici i. e. supra hu-

*manam conditionem: Quæ sc. ab homine sustineri nequeunt, & in quib. adeundis nulla honestas cernitur, utpote si quis periculis se spontè obijciat; inundationes, incendia & similia pericula effugere cum possit non curet, ut Gen. G. disserit. Talia formidabilia omnino metuenda sunt viro forti, & qui ea non metuit, aut est ἄθεος aut mentis inops. Hujus rei exemplum est in Pfullus, qui contra austrum armatâ manu profecti sunt, propterea quod ille ventus diutius spiraret, & ipsis admodum esset molestus, cujus stultitiæ suæ pœnas dederunt, dum contra ventum nitentes arenâ maris obruti sunt. Keck.*

XIII. *Alia sunt κατ' ἀνθρώπων, secundum hominem id est quæ à viro forti laudabiliter sufferri possunt ac debent, quod in illis fortiter ferendis honestas eluceat. Qualia sunt mortis pericula pro salute patriæ, exilium &c. De his Cic. 5. Tuscul. Si qui inducant animum, inquit, vires, valetudinem, pulchritudinem, divitias, honores, contemnere, eaq; quæ ijs contraria sunt pro nihilo ducere, ii poterunt clarissimâ voce profiteri se neq; impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore, nec paupertate terreri, omniaq; sibi in seipsis esse posita, neq; esse quicquam extra suam potestatem quod ducant in bonis. Inter hæc mala tristitia alia sunt Leviora, ut jactura divitiarum. Alia graviora, ut membrorum dilaceratio. Alia deniq; pericula in publicis munerib. atq; officijs constitutis impendant, idq; vel in militiâ seu bello. Alia in privatis vel Oeconomîâ. Gen. D. Guld.*

XV. *Secundarium obj. fortitudinis est τὸ θαρσάλειον i. e. omne quod requirit animi confidentiam; ut sunt præcipuè labores, molestiæ, quas sæpe oportet virum fortem sustinere. Keck. Alia θαρσάλεια, juxta Præcl. Nempe fiducialia, quib. fiducia in periculis animo ingeneratur, qualia divitiæ, munitiones, arces, arma, &c.*

XVI. *Speciale a. objectum f. mors est, præsertim bellica, pro patriâ*



*patriâ & publicâ utilitatî gratiâ appetita*, quæ dicitur omnium malorum esse maximè formidabile malum. 1. Quia est extremum omnium rerum in hac vitâ: & quia spem adimit omnium exercitiorum virtutis moralis, & omnium bonorum in hac vitâ hominis gratorum nempe honoris, voluptatis, opum &c. Keck: quemadmodum dicitur; *ἐλπιδες ἐν ζωῆσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες*. h. spes est in vivis, non est spes ulla sepultis. De morte a. bellicâ sic Cic. 2. de leg. Resp. nomen universæ civitatis est, pro quâ mori & cui nos totos dare, & in quâ omnia nostra ponere & quasi consecrare debemus. Et in 14. Phil. O fortunata mors quæ naturæ debita pro patriâ potissimum est reddita. Morti bellicæ cognata est illa mors, & illud supplicium quod sustinetur pro Religione, & Veritate, vel in aliâ aliquâ causâ bonâ & innocenti. Ita ut etiam Martyrib. Christi fortitudo Ethica tribui possit, non tantum spiritualis illa & theologica. Keck.

XVII. Tantum de Objecto f. *is Forma* est ipse habitus in voluntate, qui juxta rectam rationem suscipit labores, & pericula depellit. Hæc susius tractatur de virtute in genere, ubi vide.

XVIII. *Finis* est duplex, *Ultimus* est gloria Dei, Deus n. prima causa eff: est E. idem finis cardinalis erit, in cujus laudem omnia vergere debent, quia ab eo omnia profecta sunt. *Subordinatus* a. est *honestas*, unde publica utilitas, &c.

XVIII. Nunc ad *divisionem* properandum, communiter dispescitur, in *Togatam* & *Bellicam* seu *Sagatam*, idq; à ritib. Romanorum, Sago utentium tempore belli, togâq; tempore pacis. *Illâ* est quæ in adversis extra belli aleam animum invictum præstat & innotum Præcl. *Rempe*. De quâ Cic. 1. Off. Fortis & constantis animi est, non perturbari in reb. asperis, nec tumultuantem deijci de gradu, ut dicitur, sed præsentî animo uti, & nec à consilio nec à ratione di-

cedere, Exempla f<sup>is</sup> Togatæ insignia sunt Demost: Pyth. Socrates, &c tam in curiâ & foro imperterriti, quàm privatis calamitatib. ac ærumnis insuperabiles, quos inter palmam refert Cic. Catilinæ furorib. non tantum fortiter se opponens, sed & ea propter à Clodio ejusq. complicib. exilio mulctatus, novercantis fortunæ injurias fortiter sustinens, ut dicit Itterus. Fortium virorum est magis contemnere mortem quam odisse vitam. Curt.

XIX. *Hæc a. Bellica* f. quâ pericula in bello & mortem ipsam honestè aggredimur. Præcl. *Kempe*. Hæc n. legum auxilio destituti, injuriam notoriam, nobis nostrisq. imminentem externâ vi propulsamus. Hæc fuit insignis in Græcorum Alex: M. qui apud Just: ait: Animi magnitudine didici adversus vires hostium, non adversus calamitates contendere. qui tantâ velocitate fulminis instar, tantoq. impetu cursuq. rerum; totum propemodum orbem horrore perculsit, victoriâ peragravit. Hæc virtute (ut nihil dicam de religiosâ & togatâ, quib. etiam præditus fuit) excelluit Alphonsus Arrag: Rex, qui hoc delectatus fuit Symbolo: *Pro lege & grege*; cui pelicanum fodientem rostro pectus, & elicientem sanguinem ad pullos reficiendos, appingi curavit.

XXI. Vulgaris insuper est distinctio inter *veram* f. superius explicatam, & *Apparentem*, cujus 5. species recensentur ab Aristotele. 1. *Politica*, est cum cives in Rep: spe præmiorum, aut pœnarum metu, pericula subeunt. Hanc leges à singulis civib. requirunt in defendendâ patriâ. Gol: Causâ à cur vera f. dici nequeat, videatur apud Gol. Hæc tamen veræ fortitudini quam reliquæ species esse propior dicitur Ittero, quod *rei honestæ ac pulchræ, honoris nempe amore pericula* aggrediatur. Eo animo pugnabatur sub Agathocle Rege Siculorum, naves omnes, transportato in  
*Africanam*

Africam exercitu, incendi iubente; ut omnes, fugiendi occasione ademtâ sibi aut vincendum aut moriendum esse scirent. ut est apud Just:

XXII. 2. *Militaris*, quæ militem ob experientiam & spem prædæ in periculis adeundis reddit intrepidum. Dicitur *militaris*, quia præcipuè aspicitur in veteranis & exercitatis militib. quorum virtus non tam nititur prudentiâ quam consuetudine militandi, nec tam spectat honestatem quam vitæ utilitatem & spolia, quâ spe pereunte huiusmodi fortes terga vertunt Keck: Syst: Eth. 1. 2. Exemplo sunt milites Thebani, in prælio apud Hermæum, qui cum essent veterani, militariq; experientiâ excellerent, initio pugnæ promti ac strenui, cognitâ v. periculi magnitudine, Chironisq; Ducis sui morte, timidi ac ignavi. ref. Ant: It: ex Thucyd.

XXIII. 3. *Iracunda*, quæ sæpe facit ut inermes armatos adoriantur. (Habet n. ira maximum incitamentum ad contemnenda pericula: unde Peripaterici dixerunt eam esse cotem fortitudinis, quin Apost: *Irasimini & ne peccetis* Eph: 4.) In tales quadrat hoc vulgatum: *Furor arma ministrat*. Sunt a. temerarij & audaculi illi, qui iræ furore & vindictæ cupiditate accensj ad duella præcipites ruunt, non honestate, rectâq; ratione, non legib. publicis, sed solâ insaniâ suâ, vindictæ gloriæve inanis cupiditate. *Iracundæ* huic fortitudini accensentur, qui victoriâ & salute omni desperatâ medios in hostes, ipsamq; mortem quasi, milites ruunt: ut habet M. Anton. Exemplo Catilinæ. Sal. bel: cat:

XXIII. 4. *Fiduciaria*, cum externorum præsidiorum fiducia freti, pericula aggredimur, sed in subitis & repentinis periculis animum despondemus; Tali animo erat plebs. Rom. reb. secundis elata, adversis v. totaliter fracta.

XXV. Et 5. tandem F.<sup>do</sup> *Inscia*, eorum qui periculis ignari, animosè aduersus hostem progrediuntur: utpote tyronum qui quoniam ignorant belli mala & discrimina, interdum alacriores esse videntur, cum ad pugnam eundem est, quàm veterani milites, unde natum est proverbium: *Dulce bellum inexpertis*, referente Theoph. G.

XXVI. Atq; hæc de partitione hujus virtutis, pro re nata, dicta sufficiant: Pauca jam, antequam finem imponam, de fortitudinis *oppositis* seu *Extremis* dicturus; Sunt a. ut notum est, in *Excessu Audacia*, seu *omnis metus vacuitas*, quâ temerè adeuntur pericula, nullâ habitâ honestatis ratione. Hujus vitij exemplum sæpe præbuit orbis ille domitor Alex: M: heroicâ f.<sup>ne</sup> alioqui clarissimus, qui primus in Oxydracarum urbem saltu se immisit, magis fortunæ æquitate quàm virtute suâ servatus; ut est apud Curt: l: 9. c. 4.

XXVII. In *Defectu v. Timiditas*, quâ nihil arduum neq; pati neq; aggredi susinemus. Quales sunt *αυρόχρητες*; Et Pisander, qui, ne umbram suam mortuus videret, metuit. Exemplum etiam insigne hujus vitij fuit Sardanapalus, qui igni se tradere, quàm cum hostibus dimicare maluit.

XXVIII. Sed hic me canere receptui ipsa temporis ratio, ipsiq; iter fortè brevi instituendū, monēt: *Domine Iesu Christe fortissime & invictissime leo de tribu Iuda*, Apoc. 5, 5. unicum præsidium & refugium imbecillitatis & infirmitatis nostræ, Potentiâ virtutis tuæ quæso nos accinge in medio rerum æstu, ad omnia prospera vel aspera subeunda fortiter. Amen.

*Fortitudini nostræ*

**S O L I D E O G L O R I A.**

Ex: 15. 2.